D. M... Pazzis.

Małachowski Adami Casimir: Navis pretiosa virtutum cimelia per maria Marianna devehens. —

NAVIS
PRETIOSA VIRTUTUM CIMELIA
PER
MARE MARIANUM
DEVEHENS,
D. MARIA
MAGDALENA
DE PAZZIS;
Annuo suæ Solennitatis Die, in Basilica Celeberrimi Conventûs Cracoviensis Majoris, Perantiquæ Regularis observantiæ P.P. Carmelitarum.
Devotâ Panegyri,
In Illustrissima Magnorum Hospitum Corona,
Ab
ADAMO CASIMIRO
de Małachowice.
MAŁACHOWSKI,
CASTELLANIDA Inovlodensi, Eloquentiæ in Alma Academia Cracoviensi AUDITORE.
DEMONSTRATA.
Annô, quô NAVIS Pretiosa Saluti humanæ, cælitùs advexit Cimelia.
M. D.C.C. X. X. Die verò 26. Maij.

CRACOVIÆ, Typis ACADEMICIS.


dat pulchra
monilia collo. Ovid.
Splendida quò properas Argo? si vellera poscis
Sarmata, campestris velleris: Author erit.
Sed tamen observa vellus, quod pondere majus,
Hoc lege; sic nobis commoda multa feres.
SZANIAVIIS, AGNVS pulcher det candida la-
næ
Pondera, tunc dignum Præsule,' surge opus

CELSISSIMO ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO D. CONSTANTINO FELICIANO SZANIAWSKI,

DEI & S. SEDIS APOSTOLICÆ Gratiâ, EPISCOPO VLADISLAVIENSI, NOMINATO Crac: DUCI SEVERIÆ

VT *Sarmatico genio, ut Minoris Poloniæ votò, ac tandem cunctorũ lætitiæ paream, promptitudo mea Classem instruit: quâ Tu Poloni Nominis gloria, magnũ minoris Lechiæ incrementum, coronati Vavelli majestas, priusquàm ab avida expectantium Te pupilla noscaris, corda ac animos occupes desideratissimus.* CELSISSIME PRINCEPS Illustrissime & Reverendissime Præsul. *Prævenisti* PRINCEPS CELSISSIME *quosvis Clientûm motus, cum Tuorum meritorum notitia, minimè alieno vecta adjutorio, priùs omnium pectora incurrit, quàm Tu singulorum oculis*

Te Cracoviæ sistas, Obiectum Principale. Iam à virtutum Tuarum concivitate in urbe Poloniæ, prima vultûs Tui noscuntur lineamenta & formantur; quàmvis adhùc non per speciem Tuam dignam, Sacrorum imperio, ingrederis Diœcesis Cracoviensis Imaginativam, sed virtutis Tuæ nexu, uniris animo populorum. Tantùm crede distas à nobis: quantùm inter Te & Tuam probitatem spatium; cujus quoniam Tu compars: jam igitur Tu cunctis notus, antequàm visus. Novimus immortalitate post sera Tui fata donanda Tua opera, & quia mentes nostræ illorum sunt incapaces, sæculorum proindè volumus exerceri memoriam; quâ comprehensus, adsis præterlapsuris temporibus præsentissimus. Et pacto hoc ad mentem orbis, ad votũ temporum venies, omni ætati in optimorum Ideam proponende.- Siquidem, qui anteactorum annorum tractus? quæ præteritæ ætatis revolutio adeò felix? tam prosperioris successûs ferax, quàm hæc: quâ Tu superstes unus pro omnium commodo vivis, & vivendo excubas. Debemus Tibi omnia: quia nos ipsos, eo potiori titulo; quia à Te Cives Patriæ servatos. Tu etenim & ante Curules Senator, & extra sublime Pontificis munus & Ecclesiæ, & Patriæ pervigil, speculator semper tueris nos intuendo: & quod in Romana gente efficiunt asylla; hoc apud nos in Polonia, nesciæ terreri præstant palpebræ Constantini. Hinc quod olim solenne fuerat in Crucis signo vicisse CONSTANTINO, nobis nunc sub CONSTANTINI nomine, trophæa erigere triumphalia, vulgare. Adeò Præsul CELSISSIME didicisse nos triumphos fecisti: ut cladem nosse, scientis esset gloria non postrema. In pedes vertisti Præsuleo Tuo Pedo adversa: ut nullam in Polono solo inveniant stationem. Et licet Polonia campus sit, in ea tamen Campum non habent victoriæ, quibus Polona libertas ducatur in triumphum. Acclinasti potiùs Sarmatico Nomini Capitolium, ita: ut plana semper suis campis Polonia, collibus nunc assurgat triumphalibus. Montanam igitur subitò miramur regionem; quam hostium impetui arduam intuemur. Talem Tu fecisti consilio, erexisti virtute, sublevasti exemplo. Verè & à tangente sydera, ac liberiorem, supereminente aërem Olympo, non abludit Patrius orbis: nisi fortè hoc à montibus Te id agente discrepat, quòd jugum non sentiat. Agent Tibi gratias posteri, prono poplite futura ruent sæcula ad Tuas Præsul plantas, quòd pristinum illum Poloniæ vigorem,

tot

tot impetitum odÿs servaveris, servatum retinueris, retentum imminenti transmittas velocium temporum decursui. Videbunt illi quos subsequens excipiet ævum, nihil de antiquo Polonorum more imminutum, mirabuntur antiquam vigere libertatem, pro cujus integritate contra impetus adversorum, stetisti consilio constantissimè. Et meritò Tu præter titulos ILLUSTRISSIME: etiam sine graduum accessu sola virtutis sublimitate CELSISSIME; à Vladislaviensibus arvis, in Cracoviensis Vavelli summitatem: vocaris ad mitras, invitaris ad Coronas; ubiq; meritis, ac rectèfactis facilè PRINCEPS. Detersimus lachrymas nuper, ex obitu CELSISSIMI LUBIENII conceptas, vel sola nominis Tui fama, quæ Te non ex ore unius sed à voto omnium, boni PRESULIS optimum Successorem destinabat. Planè hoc desiderium totius Poloniæ fuit: ut mæsta ab occasu tanti sideris, ex ortu tandem Tuo, honoris in augem Majoris, lætitiæ indulgeret. Paruitq; occulta fatorũ dispositio conspirantibus in Te communiter votis, ita: ut quod corde solùm latuit omnium, pateat nunc in apprico obtutui singulorum. Tu inquam PONTIFEX ac PRINCEPS & idem virtutis constantia, honoris eminentia. In te talem tantumq; PRÆSULEM venturũ; quantùm communè intendatur desideriũ, habebis hujus totoculos testes, quot invenies in ingressu avidos Tui spectatores. Parant singuli adventui Tuo pectora, instruunt solenni Tuo plausuri ingressui voces, quibus desideratissime PRESUL exceptus, in eo tandem sistas culmine: quod Tibi non pro meta honorum, sed nobis tantisper pro scopo erit gaudiorum. Tu nunc animorum ac Ingeniorum sedula cogitatio, plures pro laudibus Tuis quæ defactò Tecum sunt, Colchos videbis navigasse Iasones. Felices illi cum aureo virtutum Tuarum vellere properent. Sed nec sim ego naufragus, dùm, cum sacratioris Carinæ DIVÆ inquàm MAGDALENÆ de PAZZIS encomio; ad Pontificias plantas affundor. Cæleste hoc donum est: Te maximè Pōtifex dignum qui in Polonia polum esse jubes, & ego Orbi Literario cælum; a tuis auguror beneficÿs. Quot reperimur in Scholastica arena Stadiodromi, tot Vates favorum, a Te imminentiũ afflati spiritu, Musis nostris Gratiarum Tuarum consortiũ promittimus. Quòd Apollinem nostrum quarto jam sæculo maturũ, ad florentem juventam reduces: spei nostræ argumentum est. Quòd literas nostras armis nuper, semper livoribus expo-

ſitas tueberis: futurum Scholaſtici laboris ſolatium emergit. Quòd deniq; Manipulum Iagellonicum, æternam priſcorum Regum memoriam, eorumq; amoris erga Polonam juventutem teſſeram, Academiam inquam Cracovienſem ſtringes favoribus, hîc ominor, cui propenſum Tuum in literas literatosq; animum, noſcere eſt conceſſum. Seraphicis igitur ſuccenſa flammis DIVINISSIMA MAGDALENA *de* PAZZIS, *dictionem meam veriorem carinam impetuoſa quadam vi in Tuum propellit conſpectum. Imò cùm illa & NAVIM ſe cæleſtibus Cymmelijs onerariã eſſe in MARI MARIANO non excuſat; omninò ad littus benevolentiæ Tuæ venire deſiderat. MARIA prædives eſt, tot virtutum, tot meritorũ clenodijs onuſta, ſola tantùm verborum meorũ cymba tenuitatis ſuæ conſcia fluctuat; an ſub oculos tanti PRÆSULIS ſit decurſura. Sed permittes leviori tenuioris dictionis navigio, nominis Tui gloriã, ante ingreſſus Tui majeſtatem, ſpectandã exhibere. Anteambulo ſit ſermo Oratoris Tui, ſed non laudis Tuæ: quâ cuncta præcedis de Te dicentium molimina. Areſcunt Te imminente Oratorij fontes, igitur in MARIANUM MARE nè dicendi de Te defeciſſet materia, NAVIM debui expedire. Sic inopes verborum, inter affluentiam laudum Tuarum facis: ut adhuc egeant, quibus incumbit orbem implentia totum, encomia Tui evulgare. Tu cælũ Pontificia attingens Tiara, ipſos ſuperos commoves in applauſus. Præſuleo Pedô terram quatiens, jam imperas omne ante Te genu flecti, quidquid è terra cælum ſuſpicit. Te ſiquidem Numina elegêre, ut cùm novos honores auſpicaris, Te & cælum colat, & orbis veneretur. Habes itaq; nunc ab aſtris porvolantem SERAPHIM MAGDALENAM, Te ANGELUM Eccleſiæ, Cracoviæ præſtolantem. Habes per cryſtallinas cæleſtiũ Gratiarũ lymphas ad Marianas Arenas appellentem NAVIM, Tibi, pretiò majus velleris donum nobis vehenti, præludentem. Da igitur favoris Tui Favoniũ, feliciores apud FELICIANUM Inſulas certò ſperanti Carinæ, præbe etiam benevolentiæ portum Nauclero; qui Tibi ſemper votis longævæ vitæ velificans, ad Præſuleas plantas rudentem conatûs mei, una mecum projicio.*

CELSISSIMÆ Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ.

Humillimus Seruus & Cliens

ADAMUS MAŁACHOWSKI,
C. I. E. A.

ORATIO

INter asperi incommoda fati, serenam frontis explicare amœnitatem, inter undequaq; ruentes malorum cuneos felicem cursum spectare, inter tumultuantes turbidi Maris procellas, secundam sperare malatiam; arduum ac difficile molimen est. AA.

Adeò namq; in hoc procelloso malignantis mundi Oceano iniquæ sortis concutimur fluctibus; ut nemo lætum canat celeusma; rarus vitæ suæ feliciores progressus celebret. Quippè ut mundus cepit, illicò desipit, nihil firmum, charum sibi existimans; præterquàm coœvam vitæ suæ inconstantiam. Sanè à fluctivago sui statu convenientiùs delineabitur mundi imago, si procellosum Mare proclamabitur. Sævit enim Mars insatiabilis cruoris humani helluo, continuis bellorum fragoribus universam fortunæ gestiens concutere Classem; & veluti in Mulciberi officina, gravi armorum strepitu, nostram conatur deglutire felicitatem. Effundunt rabiem Imperio Eoli, furentes

rentes

rentes impetu venti, continuo motu luctantur Euri, ſtrident ab Aquilone concitatæ procellæ: ut ſuo immani hiatu univerſa demoliantur rerum culmina. Jacent in cineribus pluſquàm per decenniū obruta arte Pelaſga æreſtuſa Urbium mænia, ſolo æquantur ſuperba Regnorum propugnacula, ruunt munitiſſimæ arces, decidunt aſtris contiguæ turres, flectuntur in rudera Urbes, & quidquid baſilico magnificoq; opere eminet; velut procelloſi voragine Maris in ima detruditur. Non unius Reipublicæ Navis in hoc anguſto Helleſponto, dum ad fortunatas navigat Inſulas, rapidis ſorbetur vorticibus; non unus Iaſon, dum nimiùm confidit ſecundis, in Colchico ceſpitat itinere: non unus huic committens pelago ratem, ante præmeditatum littus ſe ipſo voraces aquas exſatiat: imò ille infelix, ac nimiùm deflendus, priùſquàm avidos greſſus proſperiori Margini exponit, vitam exuit. Hinc ſi placet ſollicitam boni ſui gerenti mentem, malorum vitando injurias, aſperum firmo pede premere Caucaſum; ſi libet peregrino more poſt Calpen & Abylan evitandi gratiâ fati cōtendere, ac poſt ultimam Thulen, bonæ ſpei extendere carbaſa; mundi attamen tranqillam invenire ſtabilitatem: etiam poſt mille diſcrimina non valebit. Sed itanè nullibi ſecurum expediemus navigium? ſiccinè ad Promontorium bonæ ſpei, felici nemo perveniet decurſu? Extra dubiæ Quæſtionis arcana: ita eſt. AA. Per mare tantùm MARIANUM ſecurior ſuccedit navigatio. Non enim alibi liberiori progreſſu gratioſæ ſulcantur undæ, quàm in Cæleſti Gra-

tiæ

tiæ MARIANÆ Eridano. Huic dum optimo consilio se committit virtutum & sanctitatis oneraria, inæstimabilis candoris Gemma, Elianæ Insulæ Decus; prælucentibus sibi Carmeli syderibus portum feliciter tangit DIVINISSIMA MARIA MAGDALENA de PAZZIS. Quare soluta Oratoris dictio, ultrò se purissimis MARIÆ amandat fluctibus, qualis quantaq; in illis sit MAGDALENÆ probitas, spectatura. Sed NAVIS pretiosa virtutum Cymmelia, per Mare MARIANUM devehens, DIVA VIRAGO conspicitur: NAVIS igitur in conspectum publicæ lucis ab ore profluit indiserti. Ubi ignosces DIVINISSIMA VIRGO leviori dictionis Cymbæ, quòd Te navim attentet evulgare. Pretiosa siquidem virtutum tuarum Cymmelia exiguis non possunt ferri navigijs, igitur Classis titulo permittas Te nominari. Si ità voto annuis, affer opem conatui: ut in Tuas laudes effusus, tandem in Promotorio suæ spei videatur. A vobis etiam AA. Sacratiori huic Navi, benevolæ attentionis sperantur Favonij, qui ut benigniùs afflent in imum demissi Cultûs profunditur Eloquentia.

Onerariam hanc solummodò dixero Navim, quæ pretioso gravis pondere, non absq; summi oneris sensu Neptunios recessus præterlabitur. AA. Decurrit illa eo feliciori sulcans æquora passu, quò firmiori manet prædita apparatu. Itaq, adsint necesse est illi grandiores quàm Dodonææ, Iovi sacratæ quercus, quæ non Orphei adductæ lyrâ, sed acuta detruncatæ securi, amplam de se extruendi operis copiam suppeditent. Prora hinc,

indè puppis: & nè facilè infestis corruat fluctibus, robusta adhibentur latera. Nec sufficit firmandæ huic solius ligni usus, ubi saxosis pectus opponendum scopulis, chalybeis benè muniatur ferramentis. Stet subvectus alto, non humili malo, ast proceriori abiete fabrefactus in medio malus; hicq; mille stipetur funibus, quo eminens navis: ut citiùs destinatum accurrat marginem, turgidis adhuc vestis instruatur. Reliquum hîc si curiosior pupilla navium perlustrat apparatum, certè non dubiæ spei nuntiam, inter tumescentes Oceani procellas, videbit anchoram. Imò & magneticam tanget acum, certissimam inter afflantes rapacium ventorum turbines ductricem. Ad hæc prælucentia Astra, ac per devia qvæq; tutũ præmonstrantia iter, advertet sydera. Qvinimò præter tanta Navium commoda, nec lenè spirantes deficiunt Favonij: quæ ubi ad portum steterint, in coronide prosperioris decursus, ac post mille fluctuum discrimina, triumphali lauru coronantur. Talibus tantisq; ornamentis si conspicuam cernere DIVINISSIMAM MARIAM MAGDALENAM de PAZZIS exoptatis, eandem sagaciori mentis intuitu NAVIM, VIRTUTUM Cymmelijs onustam, & per Mare Marianum currentem perpendite. Stetit illa in primo orbis ingressu ad littus Celeberrimæ Urbis FLORENTIÆ; ubi meritò primam quæsivit stationem: nàm summi pretij bajula NAVIS vernantibus nonnisi Incolis debuit primò commendari. Hæc necdum suæ ab ulnis missa Lucinæ & jam varios fluctuantis anfractus carinæ naturam imitata. Si etenim

enim Naves immergi nequeunt, si per altos gurgites securo saliunt impetu: en DIVINISSIMA MARIA MAGDALENA de PAZZIS in publicam orbis faciem ab utero Mariæ Bondelmontiæ ueluti è Thetidis Regno leviori subsultu progreditur. Quæ omnimodam Navis referens imaginem, non Phidiæ aut Dædalo, struendî arte eximijs, sed prudenti desuper committitur Camillo. Eum siquidem superi sanctioris hujus Navis, usq; ad portum felicioris vitæ jusserunt esse Architalassum. Horum itaq; Parentum studio, vix primam orbis hujus aspexit lucem, MAGDALENA, illicò sacro Baptismatis fonte circumfunditur; cui nè Divinior defuisset cynosura, sereno illibatæ Catharinæ nomine denotatur. Hinc felicem Tibi evenisse sortem gratulor DIVINISSIMA VIRGO, quòd tantæ Virginis, imò immensarum virtutum triclinij Etymum assumpseris. NAVIS es, divitiarum Tibi affluxus opus est, quas cum Catharinæ suscipies patrocinio. Proindè ut non dissimilem tanto nomini vitam, sed virtutibus ejus parem ducas, gloriæ Tuæ urget necessitas. At extra quodvis consiliũ, VIRGO æmula magnæ comparet sanctitati. Quinimò Alienæ virtutis insistens vestigio, laudandâ invidiâ, palmam sibi præripi non concedit. Etenim propè infans, & primo ætatis vernans flore, jam maturam omnis perfectionis, ac Divinarum Gratiarum cumulat acervum; indies alimoniam corporis sui, alienæ elargiendo egestati. Præter hæc, MAGDALENÆ, NAVIS inquam pretiosa Cymmelia

C deve-

devehentis indicia, adhùc cætera libeat perlustrare. En Angelicus puritatis candor, intaminata frontis verecundia, morum probitas, verborum integritas, sanctimonia vitæ innumeraq; alia sanctarum virtutum societas, in eximium MAGDALENÆ affluit commercium. Inter quos virtutum conspicuos splendores, ac inter tot corruscantia probatæ sanctitatis documenta, hoc tantùm unicum MAGDALENÆ deesse videbatur; quòd obvoluta mundi inquieti faragine, in sangvineum Passionis Dominicæ Oceanum, vela commodè expedire non potuerit. Hinc anhelo spiritu feliciùs desiderat perfectioris status adnavigare Promontoriū. Quod cùm ità persvasum fuerit MAGDALENÆ, omninò eligit de procellosi maris turbine; ad Mare Marianum transfretare: tum ad fortunatam Eliani recessus Insulam, tranquillum invenire solatium. Factum est, quòd in votis fuerat præconceptum: tum pacatiori insilit freto, dum MARIÆ de Angelis Cœnobium, ut pretiosa inde Virtutum vexisset Cymmelia; eligit incolendum. Sed quæ operum Tuorum ratio, Virgo Sanctissima? dum enim tranquillum indagas Statum, ad Carmeli collem, turbidum Mare, mundum inquā linquendo, majores motus invenis! Hîc attendat perspicax virtutum MAGDALENÆ ratio, quo ferventioribùs votîs æstuat ad Religionem Diva Virgo; eo profundiori pacatioris vitæ innititur fundamento. Iam itaq; in ordinem lecta Carmeli, ut per Eridanum lacrymarum, feliciori sorte queat navigare, Sanctitatis speculum, pæniten-

nitentiæ Phænicem, MARIAM inquam MAGDALENAM, suscipit Tutelarem. Nec votis suis damnata Virgo, ut enim Mari se dedit MARIANO, illicò triumphare de fluctibus, superare impetus, domare procellas; assvefacta. Tumebat immensus piarum precum Oceanus, etiam illo MAGDALENÆ imbre, quem de Oculis inter lacrymas elicuit, quando in fletum soluta, mortalitatis suæ sortem, tum Numinis nati incommoda recolebat. Hæc Tyrocinia sunt MAGDALENÆ in Religione, an veriùs dixero: NAVIS in Mari MARIANO præambula. Sed quoniàm à margine recessit dictio, profundiori itaq; innatans Pelago videatur. Quæ tantùm à terræ recedit commercio, quo propiùs cælos ex edito prospicit sanctitatis. Remis velisq; Religiosi statûs, instat procellæ, ut tandem tranquillo allisa littori, pretiosa virtutum decora superis ipsis faciat venalia. Et credat avida divitiarum cupiditas, tum Cælites plurimùm CARMELO favisse, dum à littore sæcularis vitæ recedens MAGDALENA stupendo piorum operum conatu, sublimem Polum habuit sui spectatorem. Tanquàm quadam Superi premerentur indigentiâ, sic sollicitis votorum suspirijs ad fortunatoris vitæ Promontorium, Mysticam NAVIM propellebant. Ausim dicere, quòd subdita Cælis ventorum rabies, totas impetûs sui intendit vires, quibus sanctior agitatæ carinæ carbasus, citò Superum oculis adveniret. Sed cur violentâ Eole dextrâ, profundas commoves lymphas? cùm sua sponte ad præfixum Cæli Emporium contendant

 pro-

probata sanctorum operum vela, cùm prora capaciores ad Cælum sequatur decursus. Res mysteriò involuta, omninò clarioribus referanda dictis. Iam itaq; mare linquo, & loco NAVIS Cymmelia pretiosa devehentis, MARIAM clariùs celebrabo. Sacram ELIANÆ Religionis semitam terens, egregia sanctorum vestigia ita incurrit: ut in Carmelo stelligerum habere Olympum censeretur. Nec erraret qui Cælum diceret eminentem Carmeli summitatem. Ibi enim MAGDALENA virtutum ac piæ vitæ radijs, velut Numen aliquod resplenduit. Terrenum, imò nominavero Cælestem collem hunc: vel si dubium in quonam terrarum ambitu Paradisi lateant deliciæ, CARMELUS verè Paradisus est, cautiorem longè Parentem, MARIAM inquam MAGDALENAM continens. Ut etenim blandienti mundo pio effugio valedixit: ut sanctiùs in Carmelo vitæ Genus suscepit: illicò non humana facie, sed propè Cælesti supercilio, quidquid terrenum ante fuit, id non appetendo despexit. Poterant quidem & ad ianuam Carmelitani recessus, mundanæ se affundere blanditiæ, suaviter MARIAM inde avocantes. Sed quid ad hæc infracta mollibus dictis VIRGO! recessitnè à præmeditato probatioris vitæ termino? credíditnè, fucatis mundanorum oblectamentorum coloribus? minime. Abijt, excessit, erupit claustri auditu fallax mundus, & contemptum se à Virgine deflens, ampliùs infestum robur, contra munitum MARIÆ pectus, ducere non tantavit. Ita elusus temeri-

tatis

tatis mundanæ lusus, immaturæ Virginis maturo & plusquàm virili ausu calcata tentationum protervia, & in ipsa beatioris vitæ herba, jam abundè lectus sufficiens sanctorum operum proventus. Quid enim est crebrior meditationis diurnæ nocturnæq; usus? quid sunt intentæ Passioni Dominicæ Cogitationes? præterquàm aureæ aristæ, dignæ, quæ in Cælum NAVI Mysticâ MARIÆ inveherentur. Verè fortunatæ specimen Insulæ Carmelus, felicibûs adeò pullulans frugibûs, ut si Cælum nitore virtutum egeret, MARIANA NAVI latum sibi emeret subsidium. Talem profectò putet quilibet per MARE MARIANUM devehi NAVIM nostram, quæ ditando orbi, ornandis astris, delectandis Superis sufficiat. Iam itaq; fortunam Cæsaris asportantem Classem linquimus; parùm est, quidquid ostentet, vile quod præsentet: MARIANA CLASSIS Cælorum est fortunîs oneraria. Si DEO Cælum dives, MAGDALENÆ Deus Clenodiũ: si ordinatæ Spirituũ purorũ Hierarchiæ Cælorũ Ornamenta! hæ NAVIS Nostræ splendidi sunt apparatus. Nec prætium Poli, MARIÆ deficit: cùm Maternum pectus Numini alendo aptum, imò cor ipsum MAGDALENÆ communicat. Hîc si adhuc Divinum planè hoc Navigium potiores exoptat merces, Divini Pneumatis ignita afflat virtus, æstu amoris æstimanda satis MAGDALENÆ opera, in majus pretium subvectura. Opes igitur non jactet Tagus, nec auri portitor Ganges, superbiat affluentia. Rubicones præ indigentia illi sunt

tiùs, quàm aurô fluentes rivi, si modò in statera æstimationis cum MARIÆ pretio appendantur. Quidquid enim Orbis colligit æstimandum, quidquid suppeditant remota montium viscera conservandum, id totum Navim Nostram reddit onerariam. Sed fallitur præcox lingvæ dictio, cùm mundana Cymmelia sacratiori attribuit Navi. Supra terræ humilitatem, supra mundi inflatum vanâ jactantiâ animum eluctata, MARIA Cælorum magis deposito supereminet. Aurum quod humus egerit, pallida gleba est, versandum ideò manibus cum rubore, quod tam abjecta terræ portio solícitè quæsita, intensiùs diligatur; cùm illud, milleni mali irritamentum, insatiabilis appetitûs extrema fames, censeatur. Gemmæ Cæli & Maris ejectamenta, cùm nullibi pretium inveniant, malesana hominum exornant desideria. Splendet Adamas, rubet Coraliũ, humanis vel ideò dicata commodis, quòd alibi repulsam patiantur. Non his fidite sanctiorem NAVIM esse onustâ illecebris, quæ postposuit Cælum, vel quæ tantùm humano arrident voto, nequeunt Diviniori Carinâ asportari. Cælestibus illa Sacrata Cymmelijs, Cælo semper digna, per Mare Gratiarum circumvehit ornamenta. Id, à vero non aberrare probat MADALENÆ sanctitas, æquanda maximis, præferenda, plurimis & nunquàm humiliori censu collocanda. Seraphica hæc planè VIRAGO, in terris latentem antecedendo pietatem, evolare debuit ad Angelos; ibi solummodò virtutum suarum inventura

tura paritatem. Et fidat fluctivaga mortalium Opinio, de æstuanti hac Divino amore Hierarchia fuiſſe MAGDALENAM quæ ſemper ſuccenſa Diviniſſimo SPIRITU ſeraphicū ardorem, amando, conſervavit. Vbi, precor incendium ab æstuanti MAGDALENA non timendum! cùm etiam ad Mare Marianum ſiſtens Oratio, ad portum jam, adamatã Superis NAVIM, conetur deducere. Ita enim referta vîrtutũ Cymmelijs MAGDALENA, tùm mille onuſta decoribus, cùm per Mare Marianũ proſperè fluctuaſſet, ad fortunatas tandē appulit Inſulas. Has dum innuo, Cælũ intelligo; quod MARIÆ pro portu, mihi pro termino dictionis. Debuit MAGDALENA per Cryſtallinas Cælorum ſphæras ultimæ adnatare felicitati: quæ ubiq; NAVIS & nunc in conſpectu veſtro apparuit virtutum Cymmelijs oneraria.

Iam itaq; plauſus debemus triumphatrici, ad felicem portum MAGDALENÆ, quæ Tibi in eximium cedit encomium Sacra CARMELITANA RELIGIO. Lucent hic hæreditaria ſidera, aſſurgunt Carmeli colles, vibratur Eliæ Gladius, omnia pro honore Tuo fæderata. Admittis & NAVIM MAGDALENAM & Deo & Cælô onuſtam, requiſita igitur ad invidiam cunctorum, poſſides ornamenta. Proindè in ſpes optimas, vel ipſis Aſtris altiùs provehare, cùm Tibi eó MAGDALENA, præcurrat NAVIS Virtutum Cymmelijs oneraria.

DIXI.